



57
2/2


EL
J63.1
m

Arnold Arboretum Library



Purchased from the Income
of the
Mary Robeson Sargent Fund

Received




MERCVRII
BOTANICI
PARS ALTERA
SIVE
PLANTARVM GRA-
TIA SUSCEPTI ITINERIS
IN
CAMBRIAM five WALLIAM
Descriptio
Exhibens reliquarum Stirpium
nostratium (quæ in priore parte
non enumerabantur)
Catalogum.



LONDINI,
Excudebat T. & R. Cotes, M.DC.XLI.



Digitized by the Internet Archive
in 2015



V. Cl. vereq; Generoso

D. THO. GLYNNÆO

D E

GLYNN-LHIVONA

Armigero,

THO. IOHNSON S. P. O.



*Agnis & inusitatis a te V.
Cl. affectus beneficiis jam
diu obticui, quoniam digna
humanitate, digna gente
tua oratio mihi non contigerit. Gentem
tuā Antiquæ Britanniae reliquias, nul-
los nisi Generosos continere, a nostrati-
bus Anglis vulgo jactatum esse omnes
norunt, sed hujusce rei veram ratio-
nem*

nem omnes fere ignorant, quam ea de causa paucis reddere haud gravabor. Tota hæc insula a Severi muro ad Oceanum Britannicum & Virgivium, Romanorum olim Provincia, populi & rerum ad vitam necessariorum dives erat. Sed in ruinam tendente eorum imperio suis tutanda viribus relicta est Provincia; Romani enim Italiam & huic finitimas Provincias vix & ne vix quidem a Barbarorum incursibus tutari valebant. Primum in eam impetum fecerunt. Antiqui incolæ Romanorum victricibus armis in septentrionibus obtentam Insulæ partem pulsi; hique jam nunc non Britannos, sed a picta cute Pictos tantummodo a Provincialibus audiebant. Gens hæc cæli & soli asperitate fera & barbara plurimum a Romana provincia moribus, lingua, institutis distabat, ita ut non pro Britannis, sed nescio quos Barbaros, ab iis
habe-

habebantur. Hi Barbari dum luxuria perditam, armisque privatam Provinciam invadunt, Britannos opem à Saxonibus eo temporis bello claris petere coegerunt; quorum opera non modo Pictos repulsos, sed Britannos in regionis angulum rejectos esse satis ex historiarum monumentis notum est. Quingentos annos Romani hanc Insulæ partem possederunt, ideoque Saxones incolas (in quorum auxilium advocati fuerunt, & in quos arma verterunt) pro Romanis, Italis* vel Gallis habebant, eorumque Jdiomate eos ¶ **Welshmen**, regionemque hanc (iis ex tota Provincia relictam) **Wales** vocabant; illiq; nos Anglos Saxonum progeniem **Sassons** in hunc usque diem nominant, ex quibus nominibus utriusque Gentis origo clare pateat. Nec minus rationi consentaneum est hostem irruentem fugisse non ignobiles (quibus cui serviant non curæ est)

* Sic *Verstegano* placet. Hi enim eo temporis Romani imperii pars non contemnenda Germanis obtendebantur, horumque etiam consanguineos nostros Britannos fuisse Britonum in Gallia Idioma persuadet.


¶ Ipsa Italia a Germanis ad hunc usque diem **Weltschland** vocatur, unde Sena Italica **Weltsch Senetkraut**, & Buglossa Italica **Weltsch Ochsenzung** Tabernæmontano dicuntur.

est) sed nobiles, generosos, & eos, qui vere libertatem aestimare potuerunt. Ex tota Provincia nobiles huc confluentes hunc tractum antea (ut verisimile est) etiam a plurimis nobilioribus (qui Romanorum prius dominium, quantum dabatur, fugiebant) excultum, nobilem, reddiderunt. Hæcque Jnsulæ pars ab eo tempore viros belli, pacisque studiis claros in hunc usque diem peperit. Nec alibi usquam homines magis generosos, magnanimos, probos, fidos & hospitales facile invenias; ideoque si vera nobilitas ex virtute originem trahit, hanc Gentem vere nobilem fatendum est.

Nec te V. Cl. minore quam qua splendet Gens tua laude dignum esse judico, ut qui antiqua & clara familia oriundus animum omnibus virtutis dotibus egregie instructum possides, humanioresque literas, naturæ studia & horum studiosos amplecteris, foves.

foves. Me beneficiis tuis victum in Cambriam adduxisti, illicque incolarum humanitas, soli locorumque varietas in tantum delectarunt, ut mihi nihil optabilius, aut quod plus jucunditatis afferat, quam iterum majore otio, benignioreque cæli aspectu visere loca, quæ tam multa Naturæ miranda diligenter quærentibus præbere possint. Accipe igitur hanc rudi calamo delineatam Itineris descriptionem, & (quæ tua est humanitas) gratias beneficiorum loco retributas, ab illo qui tibi omnia semper ex animi tui voto accedere precatur.

Vale.



Mercurii Botanici.

Pars altera.



NON pauci elapsi sunt anni ab eo tempore, quo primum ad Rei herbariæ studium animum appuli, idq; eo consilio a me semper factum erat, ut Reipublicæ literariæ, & hominibus hujusmodi studiis deditis benefacerem. Et quamvis dispar sit fortuna, impares animi vires ad res tantas perficiendas, quantas in animo & votis semper habui, attamen tardo gradu, sed constante hæc studia prosequor.

Priore hujus operis parte notum feci me solerti studio inquirere & investigare quicquid plantarum fælix hæc fertilisque Insula nostra producit, & in hunc finem antea actis laboribus inventas in Catalogum digessi & evulgavi, hisque jam adjuncturus sum quascunque plantas in hac Insula sponte nascentes, aut Itinera nostra,

stra, aut amicorum benevolentia, aut scriptorum libri mihi notas fecerint. Hisce deinde figuras (quantum in me est) exactè delineatas adjungam, tum demum historiam juncto opere cum *Joanne Goodyero* viro amiciss. & in hac palæstra versatiss. editurus sum. Hæc Itinerum, hæc scriptionis causa & consilium fuit; ex hujusmodi enim Catalogis, omnibus rei herbariæ studiosis pateat, quæ sunt adhuc à nobis inventæ & observatæ plantæ; eosque rogatos velim, si quæ illis nondum a nobis observatæ occurrant, ut humaniter mihi significare non dedignentur, eis gratias debitas publicè reddi-
turo.

Sed hæc nostra studia a nonnullis pro nihilo “habentur; queruntur enim, quod, *Botanici* ut “plurimum meri sunt Nomenclatores, qui præ- “clare se rem gessisse arbitrantur, si perlustratis “variis plagis, nomina repertorum simplicium “& forsàn eorum icones redigunt in volumen, “quo operæ pretio arti satis cautū existimant. Vt huic objectioni satisfaciam, respondeo: Istiusmodi Nomenclationes rei herbariæ studiosis voluptatem & utilitatem afferunt; etenim ex aliorum scriptis (quorum ubique fere non contemnendus numerus) plantarum vulgarium descriptiones & vires notæ sunt, ex his discant quid huic loco vel regiõni familiare vel peregrinum, & unde hæc vel istæ plantæ, quarum desiderio teneantur, petendæ sint; ita ut non opus sit è longinquo petere, quod quotidie fere sub pedibus habeant, ut aliquando a nonnullis factum esse novi. Præterea hujusmodi
Cata-

Catalogi sunt instar materiæ ad ædificia paratæ. Sicuti enim qui egregia opera structuri sunt, primum ligna, lapides, calcem, tegulas & hujusmodi copiam quærunt, locisque aptis disponunt, ut quando tempus & usus postulant, ad manus sint: sic qui aliquid laude dignum in re Botanica scripturi sunt, prius in classes redigunt quæcunque exhibituri sunt, aliter incondite & preposterè rem totam tradere necesse habent hac sprete methodo. V. Cl. *Casparus Bauhinus*, qui hanc Spartam egregiè ornavit, iterato conatu Pinacem sive Indicem totius Operis, quod sub manibus habuit in ordinem digessit, synonymis ornavit, & in publicum emisit. Præterque hunc generalem Pinacem, Catalogum etiam Plantarum circa *Basileam* nascentium typis evulgavit, quo labore (ut ejus verbis utar) studiosi qui apud nos vivunt in excursionibus Herbarum inquirendarum causa uti poterunt. Sic non inutilem hunc nostrum laborem fore judicavi, si modo studiosis & tyronibus herbarum investigationi deditis usui esse possit, dum ex hisce quasi jactis seminibus, opera majora & fortasse iis, qui non iniquis oculis intueantur, non contemnenda prodeant.

Sed hæc missa faciam ut Itineri me accingam, cujus descriptio si alicui non arridebit, ejus lectione abstineat; namque benevolis non malevolis hæc scripta sunt.

D. *Paulus Sone* vir nobilis, harumque rerum studiosiss. & Egomet, Plantarum investigationis ergo, Iter in *Cambriam* suscipere in animo habuimus; sed nobis antiquæ Linguæ *Britannicæ*

tannicæ ignaris opus erat interprete, in quem finem *Edoardum Morganum* rei herbariæ etiam studiosum nobis adjunximus, eiq; sumptus præbuimus. Hisce ita ordinatis *Londinum XXII. Julii* Anno MOCXXXIX. linquentes *Alisburiae* pernoctavimus, hinc discedentes in arvis sequente die plurimas (sed in priore Catalogo recitatas) plantas invenimus. Inclinate die tandem *Stratfordiam* ad *Avonæ* ripam conditam pervenimus. Mane sequente adest V. Cl. D. *Robertus Lee* nobiles aliquot amicos secum ducens, & nos ab eo ad *Bilsley* ædes suas verè hospitalis, situ & ornatu egregias, taliq; domino haud indignas non inviti ducimur; hîc bidui moram ejus munificentia nobis iniecit, nihilque humanitatis omisit; vix tandem dimissi (ille enim, & amici ejus ad *Henley* in *Arden* se viâ duces & itineris comites perhumaniter præbuerunt) hinc actis gratiis ut potuimus maximis, discessimus & per *Bremicham* Vulcani municipium *Wolverhamptonem* petimus, hic juxta stabulum invenimus *Salicem* lato, glabro, serrato & odorato folio nondum descriptam. Sequente die, *Noviporta* post tergum relictâ ad *Shackerforth-Mill* paululum morantes *Vaccinia* palustria & *Acetosam* maximam loco uliginoso crescentia observavimus, dein *Cestriam* usque nil notatu dignum se obtulit. *Cestriæ* nos præstolatus est alter Itineris nostri socius V. C. *Gualterus Stonehousius* Theologus Doctiss. divinarum humanarumq; rerum Studiosiss. qui ex Agro *Eboracensi* huc usque nobis obviam processit. Ille, cum superiore

ore nocte, *Stock-portæ* (ea Agri Cestrensis est Emporiolum) hospitio nimis sordide exceptus esset: cauponæ, mane insequente, versiculis hisce, stilo nimirum oleastrensi ad cubiculi parietem fixis, valedixerat.

*Si mores cupias venustiores,
Si lectum placidum, dapes salubres,
Si sumptum modicum, hospitem facetum,
Ancillam nitidam, impigrum ministrum,
Huc diverte, Viator dolebis.*

O Domina dignas, forma & fœtore ministras!

Stock-portæ, si cui sordida grata, cubet.

V. Cl. *Samuel Bispham* Cestriensis M. D. satis humaniter nos excepit; nec nisi diei mora impetrata, dimittere voluit, ita urbem, mœnia & circumvicina loca lustrantes, vespere lauta cœna ab eo excipimur.

Cestria relicta Cambriam ingressi per *Flint* Castrum (cui ejusdem nominis oppidulum adjacet) ad Fontem sacrum sive *Haliwell* pervenimus, illic fontem antiquis religionibus ob *Wenefridæ* virginis cædem cultum vidimus, & inter alias plantas circumjacentes colles ornantes *Ericam* vulgarem & tenuifoliam flosculis utramque albis variantem legimus, hîc pransi *Ruthlandæ* ea nocte hospitio excipimur. Sequente mane progredimur, sexto ab hinc lapide Mons est incolis *Garth-gogo* dictus, hic Caryophyllum saxatilem *Ericæ* folium *Bauhini* collegimus; sed in ejus latere sub ingenti præcipitio specus amplum difficili cli-vo-soque aditu, giganteo nomine *Ogo-Gumbyd* dictum ingressi sumus. Polytrichum, saxifragam

gam auream, Phyllitem &c. in ipso antro, sed in Clivo è saxorum fissuris Brassicam silvestrem copiose crescentem conspeximus; non longe hinc etiam Phyllitem multifidam eruimus. Dum ad octavum lapidem progressi annem ad *Aberconwey* trajecturi sumus, adest famulus V. Cl. D. *Thomæ Glynnæi*, & significat herum suum nos expectare non procul hinc, sic divertimus ad *Bodskalan* ædes viri nobilis & antiquæ hospitalitatis D. *Roberti Wynn*. ibi reliquum diei, & sequentem noctem transigimus: postero mane generoso hospiti solutis pro humanitate gratiis, *Conovii* sive *Aberconwey* (Oppidum est situ amænum muris & castro etiam quondam munitissimum) paululum morati sumus. Dein priusquam ad quintum lapidem perventum est, duos horrore plenos transitus habuimus, *Pen-maen-bahen* & *Pen-maen-mawre*, hoc est, Promontorium minus & majus. Hic ingentes & excelsæ rupes mari eminentes angustum parumque fidum itinerantibus callem præbent, hinc enim saxa è rupibus minacia, illinc mare horrissonum sub ingenti præcipitio mortem errantibus minatur. Horum major transitus fere mille passus in longitudinem porrigitur, quo tandem post tergum relicto, ut etiam *Bangora* sede Episcopali, *Caernarvona* urbecula elegans aliquantulum moræ nobis iniecit. Castellum olim munitissimum ingressi Locum Regis *Edoardi* secundi (qui de *Caernarvon* cognomen habuit cunis nobilitatum invisimus. Hinc quatuor emensi miliaria *Glynn-lhivonam* ædes veré generosi V. *Tho.*
Gly-

Glynnæi tandem ingredimur.

Sedes hæc peramæna, nemora hic sunt opaca, rivulorum lenis & susurrans per saxa decursus, horti hic & inde variis ornati flosculis & herbis, horū alter facili ascensu sublimior prospectum admodū oculis gratum exhibet; Ex una parte *Virgivium* mare, è regione jacentes insulæ *Mona*, ipsaque *Hibernia* cælo sereno sese visendas præbent, ex altera se exerunt Alpes nostræ Britannicæ montes totius Insulæ maximi, ita ut quocunque te vertis, aliquid haud vulgare visui objicitur. In hac amænitatum sede ne desides essemus, sequente aurora ad Maris littus, quod non longius hinc distat, quam mille passus, procedimus, illicque Soldonellam, & Gnaphalium marinum eruimus. Stationem hic in ipso Littore *Romani* milites habuerunt, cujus adhuc satis clara vestigia manent. Relicto littore reliquum diei in visendis hortis, silvis & pascuis consumpsimus.

Postquam illuxit dies *Augusti* III: ascensis equis nos ad Alpes nostras Britannicas conferimus. Mons est horum omnium altissimus ab Anglis *Snowdon*, a Britannis *Widhfa* vocatur,

Hic montes alios inter caput extulit altos

Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.

Hujus visendi desiderio capti festinamus, & a Rustico puerum viæ ducem impetramus (quia non solum caput, sed mons totus nubilis obvelatus erat) dein equis & vestimentis exterioribus relictis montem ascendere incipimus; ascensus primus difficilis, sed postea locus

se

se diffundit in ampliorem planitiem, sed æquè clivosam, ad sinistram ingentia præcipitia, ad dextram difficilis clivus, sic tria milliaria emensi ipsum montis verticem densis nubibus velatum tandem superavimus. Hic via admodum angusta est, horroremque ascendentibus maximum incutiunt præcipitia cautibus aspera ex utraque parte, stygiæ etiam hinc & inde paludes, quarum maxima Dæmonis domicilium ab incolis vocatur. Sed quando ventum est, ut ulterius in jugo progredi non potuerimus, illic inter nubula consedimus; primoque plantas inter saxa & præcipitia periculose collectas in ordinem digessimus, deinde viaticum nobiscum allatum sumpsimus. Plantarum rariores minusque obviæ fuerunt sequentes.

Nasturtium petræum.

Oxalis rotundifolia.

Viola Martia palustris.

Serpillum hirsutum.

Rhodia Radix.

Caryophyllus montanus minimus.

Sedum rotundifolium serratum.

Sedum minus flore albido.

Sedum tridactylites.

Cotyledon sive sedum petræum hirsutum.

Gentianella Bavarica.

Gramen sparteum spica foliacea minus.

Muscus Cupressi facie.

Muscus ceranoides Bauhini.

Carduus mollis.

Salix humilis saxatilis, sive

Cha-

Chamaëtea repens montana.

Filix petræa elegans.

Et quod mireris (nisi tale aliquid in *Penæ & Lobelii Adv.* annotatum legeris) hic eruimus,

Gramen junceum marinum.

Caryophyllum marinum.

Lychnidem marinam Anglicam.

Relictis montibus sub vesperam *Glynnhivonam* revertimur, illicque diem sequentem quiete transegimus. Postero mane D. *Glynnæus* cum affine suo D. *Oweno* nos Monam versus ducit. Freto *Menai* ad *Abermenai* trajecto cursum dirigimus sinistram versus ad Australe Insulæ promontorium, quod non longius hinc quam duo milliaria distat, *Landhwin dwynwen* incolæ vocant. Hoc in angulo D. *Kyffin* Bangorensis Ecclesiæ Decanus domicilium habuit, qui olim regnante *Richardo* 3. occulte res Comitis *Richmondiaë* (postea Regis *Henrici* Septimi) hic agebat litterasque clandestino accipiebat & submisit. Nulla habitatio in propinquo fuit, sed statio navigiolo (quod huc ea de caussa appellere solebat) satis commoda. Arenæ vento mobiles totum hunc tractū occupant, excepto spatio ubi domiciliū. In saxis mari elisis *Limonium* parvū & *Crithmū* crescebant, in domicilii parietinis *Chamaëfilix* marina Anglica. Jaceæ tricoloris varietas magna sterilem planitiem ornabat, ut etiam *Centaurii* minoris biunciales plantulæ. Inter Arenæ colles *Tithymali* *Paralii*, *Spartique* nostratis majoris satis copiosus proventus, hujusce *Sparti* *Noviburgenses* (qui 2. abhinc la-

pide distant) funes, storeas & id genus alia texunt, nec aliud opificium exercent. Postquam *Noviburgi* aliquantulum morati sumus, iter ad *Bellum-Mariscum* dirigimus, & ibidem hospitio excipimur. Die sequente ad lautum prandium invitati sumus in *Ædibus* nobilis Viri *D. Rich. Bucklæi*, quæ non ultra mille passus, a *Bellomarisco* sitæ sunt, & ab incolis (qui eo loci ut plurimum Anglicè loquuntur) *Baron-hill* vocantur. Finito prandio conscendimus equos & ad vivarium *D. Bucklæi* & promontoriolum cui parva insula objacet, equitamus; ex mari Muscos marinos elegantissimos habuimus; in citeriore Promontorioli parte *Triorchis* copiose florebat, ut etiam *Lathyrus* major angustifolius. Postquam nostri itineris causa *Belli-marisci* innotuit, nobis significatum est, quod nullibi, in toto illo tractu rariores aut plures stirpes nascebantur, quam in excelso monte, qui non ultra 4. lapidem *Bangora* distabat. Huc tendere postquam statutum erat, summo mane *Bellum-mariscum* reliquimus, fretum trajecimus, & *Bangora* post tergum relicta viculum rusticum *Lhan-lhechid* vocatum appulimus; Jam ter mille passus processeramus, sed nihilominus tantum spatii aberat mons ille famigeratissimus *Carnedh-lhewellyn* ab incolis vocatus. Hic ideo viæ duces comparamus, sed progressi cælo admodum pluvioso parum proficimus; postquam enim ad montis jugum ventum est, humidis & densis nubibus circumdati à ductore circumducimur, sed nullo modo persuasus est, ut nos
ad

ad præcipitia duceret, ubi plantæ rariores solummodo crescunt; etenim colles vulgari gramine vestiti pascua satis grata ovibus & jumentis præbent. Rusticus noster illic nidificantes aquilas timebat, solent enim transversim præpeti penna in ora pascentium ad præcipitia pecorum devolantes, ea subito incusso terrore in ruinam dare prædæ causa. Hic ergo cæli injuria, ductorisque vecordia impediti nihil notatu dignum præter Gramen sparteum spicâ foliaceâ majus, & Consolidam mediam flore cæruleâ Alpinam invenimus. *Bangora* reduces nocte sistimur, sequente aurora nobilissimum hospitem *Glynne-thivonæ* revisimus. Postero die finito prandio hospitas ædes reliquimus, associante ad 4. lapidem generosiss. hospite, cui gratias multas solvimus, pluresque nos debere ingenuè profitemur. Dein 6. milliaria emensi *Penmervæ* pernoctavimus. Hinc progressi ante meridiem *Harlecham* advenimus, ubi paululum morati sumus, etenim eo die Pecorum, Lanæ, pannorum, &c. Nundinæ celebratæ fuerunt; antiquam hujus loci castrum excelsæ rupi impositum mare longe lateque prospicit. Toto hoc maritimo tractu Juncus marinus capitulis Sorghi & Atriplex marina semine lato satis copiose proveniunt. Pransi septem milliaria emensi sumus, dein *Bermuthæ* annem cymba trajicientes statim clivoso montis latere transitum *Penmaen-mawr* æmulum invenimus (Altan-ownreth vocant Incolæ) & hic ingressi sumus

Nim-

*Nimborum in patriam, loca fœta furentibus
Austris.*

Vix enim ad medium transitus spatium venimus, quando.

*Madidis Notus evolat alis
Terribilem picea tectus caligine vultum,
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis;
Fronte sedent nebulae, rorant pennaeque sinusque:
Utque manu late pendentia nubila pressit
Fit fragor, & densi funduntur ab æthere nimbi.*

Nos irato Jovi ad resistendum minus validi latebram in proximo viculo (Llanguerel) quaerimus & invenimus, tandem surgente aurora loci, latebrarumque pertæsi, nondum penitus sedata tempestate pergimus, de inde montem excelsum superantes nihil non ventorū nimborumq; experti sumus, incolæ *Menneth Bawghan*, nos *Μῆνυ βαρειαυ* vocavimus. Jamque octo tantummodo milliaria emensi, totique madidi benigniorum cæli, solique aspectum invenimus, secundo dein lapide superato ad Mechenlleth hospitio fessis & humectis gratissimo fruimur. Quod reliquum erat diei in reficiendis corporibus, siccandisque vestibus impendimus. Hospitium pro natura loci optimum habuimus, quo relicto, Montem-gomerium usque nil notatu dignum invenimus. Hic pernoctantes experti sumus munificentiam Illustriss. Herois *Ed. Herberti* Baronis Cherburiae, &c. qui Castellum præruptæ rupi impositum, novis operibus, ut etiam adjacentibus

tibus silvis & vivariis decoratum hic possidet. Montem-gomerium linquentes recte ad *Guerndee* viculum tendimus, illicque in Alneto semina Persicariæ siliquosæ copiose illic crescentis collegimus, Solidaginem etiam Sarcenicam inter *Dudson* & *Guarthlow* eruimus. Hasce duas rariores plantas hic crescentes primum observavit amicus meus singularis *Georgius Bowles* Medicinæ candidatus. Eo loci socius itineris optimus D. *Gualterus Stonehousius* nos reliquit & per Salopiam in agrum Eboracensem rediit. Nos deinde continuatis itineribus per Ludloam, Lemsterem, Herefordiam, Glocestriam & Oxoniam, Londinum, tandem pervenimus.

Nunc restat ut Catalogū Plantarum exhibeam, quarum non fit mentio in priore operis parte, hicque non solum exhibeo in hoc Itinere inventas; sed etiam quascunque inveni in partibus hujus regni septentrionalibus, dum illas ante biennium peragravi. Hisce etiam adjuncturus sum quascunque V. V. amiciss. *Gualterus Stonehousius*, *Georgius Bowles*, *Johannes Goodyerus* invenerunt. Et ne aliquid desset, denotavi etiam nonnullas, quæ a V. Cl. *Matthæo Lobelio* dum vixit, inventæ fuerunt, harumque notitiam ipse in animo habuit impertire in Stirpium Illustrationibus, quas ad umbilicum fere perductas morte ablatas ineditas reliquit, sed ex relicto opere multa, quasi tabulæ ex naufragio in Theatro Botanico *Johannis Parkinsoni* Botanici Regii (qui opus a *Lobelio* conditum suo ære proprium fecit) lucem

cem jam nuper aspexerunt. Sed ne alicui fraudem facerem, asterisco annotavi quicquid ex eo *Joannis Parkinsoni* libro mutuatus sum.

Lectorem etiam admonitum esse velim me ex aliorum scriptis nonnullas plantas in hoc Catalogo inseruisse, quas sponte nobiscum crescentes inveniri, mihi vix persuadere possim, hisce ea de causa hujusmodi notulam ¶ apposui.

Plan-



Plantarum Catalogus.

A

- A
Bies, In Alpibus Scoticis. *The Firre-Tree.*
- A
Ægilops, *Diosc. Dod. Ægilops bromoides Belgarum, Lob. Ger. in satis. Bearded Wilde Oates.*
- A
alsine baccifera major *Clusii, Maxima Thal. Cyclaminus altera Dioscoridis, Ghini. Cucubalus Plinii, Lugd. in Sylvis udis, Advers. pag. 204. Berry-bearing Chickweed.*
- A
alsine aquatica *Portulacæ folio verna, Spring Chickweede.*
- *
Ammi vulgare Dod. Ger. Bishops-weed. In many places, as by the hedge beyond Greenehithe in the way to Gravesend. Parkins. pag. 912.
- A
nagallis aquatica 4^{ta} *Lob. angustifolia, Bauh. in uliginosis. Narrow leafed Brooklime.*
- ¶
Anchusa minor sive Alcibiadion, Lob. Ger. Emac. Secunda Matth. Red Alkanet. In the Isle of Thanet according to Gerard.
- A
ngelica sativa, *Trag. Fuch. Matth. Ger. Garden Angeli-*

- Angelica.* Amongst the Rockes not farre
from *Barwicke*.
- Aquilegia flore cæruleo,* Ger. *Aquileia Fuch.*
Dod. *Aquilina,* Matth. In pratis *Advers. pag.*
339. *Columbine.*
- Artemisia marina,* Lob. Ger. folio *Lavendulæ*
Clus. *Absinthium latifolium marinum,*
Cam. *Sea Mugwort.*
- **Argemone lutea Cambrobritannica.* *Lo. Park.*
Yellow wilde Poppy of Wales.
- Armeria sylvestris humilis flore unico rubello.*
Armerius flos 3. *Dod.* *Caryophyllus repens*
humilis minimus vulgatiss. *Lob.* *Caryo-*
phyll. syl. 1. *Clus.* In collibus & pratis sic-
cioribus. *Dwarfe Pinkes or Maidens Pinkes.*
- **Asarum Matth. Dod. Ger.* *Asarum Baccaris*
Ad. Lob. *Asarabacca.* Found in *Somerset-*
shire by *D. Lob. Parkins. pag. 267.*
- Asphodelus palustris carinato folio nondum*
descriptus. *Small water Asphodill.*
- Atriplex marina semine lato nondum descri-*
pta. *Sea Orach with broad seedes.*
- Avena nuda,* seritur quibusdam locis. *Naked*
Oates.
- Avena vulgaris,* ubique Copiose seritur, & ex
semine prioris sæpe oritur. *Common Oates or*
Haver.

B

B *Istorta minor,* *Clus. Ger.* *Small Bistorto*
or snakeweede. In *Westmerland at Crosby*
Ravenswaith.

Brassi-

Brassica sylvestris, *Trag. Dod. Ger.* In maritimis & asperis. *Wilde Coleworts.*

¶ Bugula sive Consolidida media flore luteo *Bauhini*, (qui ex *Anglia* se habuisse affirmat) *Bugle with a yellow flower.*

Bugula sive Consolidida media cærulea Alpina, *Bauhini.* *Mountaine Bugle or Siclewort.* On *Carnedh Lhewelyn* in *Wales.*

¶ Bupleurum latifolium, *Tab. Ger.* *Broad leaved Hares eares.*

¶ Bupleurum angustifolium, *Dod. Tab. Ger.* *Herba vulneraria, Trag. Isophyllon, Cordi.* *Narrow leafed Hares eares.* **These two last are affirmed by Gerard to grow here, as also by Parkins. pag. 578.**

C.

C Alceolus Mariæ, *Lob. Ger.* Elleborine ferruginea, *Daleschampi, Lugd.* *Alisma δάνθεμον* aut *κοιλάνθεμον Thal.* *Lady's slipper.* **In some woods in Lancashire.**

*¶ Calamintha montana præstantior, *Lob. Ger.* *Great mountaine Calamint.* **This growes wild with us according to Lobel, if rightly cited by Park. pag. 36.**

Campanula minor longifolia, sive minor alba & purpurea, *Ger.* In arenosis collibus. *Small long leaved Bell-flower.*

¶ Campanula hortensis folio oblongo, sive Medium, *Diosc. Matth.* *Viola mariana, Lob. Ger.* *Coventry Bells.* **Gerard affirms it growes wilde by Coventry.**

- Campanula Cymbalariae foliis, vel folio hederaceo, *Bauh. Ger. Emac.* In collibus herbaceis. *Tender Ivy-leaved Bell-flower. Ivy-bells.*
- Cannabis spuria flore pallido, labro purpureo elegante. In fimetis & ruderibus. *Faire-flowered Nettle-hempe.*
- Carduus mollis flo. cæruleo, an Cardus mollis foliis Lapathi, *Clus. Ger. Emac.?* *Thistle Gentle. This grows on the Rocks on the highest part of Snowdon.*
- Caryophyllata montana. 1. *Clusii* purpurea *Ger. aquatica* nutante flo. *Bauh. Red Mountaine Avens.*
- Caryophyllus montanus minimus, sive Caryophyllus pumilio Alpinus, *Clus. Ger. Emac. Mosse-pinkes, or dwarfe mountaine Pinkes.*
- Caryophyllus saxatilis Ericæfolius umbellatis corymbis, *Bauh. Saxifraga alsinefolia major.* In montosis & asperis. *Great Pearlewort.*
- Caucalis tenuifolius, sive albis floribus vulgaris, *Lob. Ger. Daucus ἀνανθόκαρπ* ⊕ seu ἐχινόκαρπ ⊕ minor, *Thal. Inter segetes. Hedgehogge Parsley* with white flowers.
- Cerasus avium, *Clus. nigra & racemosa, Ger. In sepibus & sylvis. Birds Cherry, Blacke grape Cherry; In the North Heg berry-tree.*
- Chamæfilix marina Anglica, *Lob. Lugd. Adianthum mas, Tab. Sea Maiden-haire.*
- Chamænerion, sive Epilobium; *Ges. Ger. Emac. Onagra Dioscoridis, Lugd. Oenothera Plinii, Bauh. In sylvis humidis. Rosebay willow herbe,*

- herbe, Rose withy, or Willow flower.*
 Christophoriana, *Dod. Lob. Ger.* Aconitum racemosum, *Bauh. Herbe Christopher or Baneberries. In the North according to Gerard.*
 Clematis Daphnoides minor, *Dod. Lob.* Vinca pervinca, *Brunfels. & Offic.* in sepibus. *Periwinkle.*
 Cochlearia rotundifolia, sive Batava, *Lob.* in maritimis. *Garden or round leafed Scurvigrasse.*
 Corallium album, *Lob. Ger.* In cautibus marinis. *White Corall.*
 Cotyledon hirsuta, sive sedum petræum hirsutum: an sedum minus *x. Clus. Hist.* Jasme montana, *Dalesch. Lugd.?* *Hairy Kidneywort. Upon the moyst Rockes at Snowdon.*
 Crithmum, *ijj. Matth.* Crithmum Chrysanthemum, *Dod. Tab. Ger.* In maritimis & salsis. *Golden Sampire.*
 Crocus genuinus, sive sativus. In arvis colitur. *True or Common Saffron.*
 *Cymbalaria, *Matth. Lob. Ger. Emac. Bastard Navelwort. About Hatfeild in Hartfordshire, and divers parts of Lancashire, Park. pag. 681.*

D.

- D**Entaria bulbifera, *Lob. Ger.* coralloides, *Cord.* In sylvis. *Toothed Violet.*
 Doronicum Romanum, *Gesn. primum, Tab. majus Officin.* *Ger. Great Doronicum, or Mountaine Marigold. On the high Mountaines*

taines of Northumberland.

- Dryopteris, *Advers. Ger. Emac.* In uliginosis.
True Oke Ferne.
- Dryopteris nigra, *Dod.* Onopteris mas, *Ger. Emac.* an Adiantum album, *Adver.?* In umbrosis & asperis. *Bastard Maidenhaire.*
- Draba lutea maxima, *Arabis quorundam, Cam. Epit.* perperam Solidago Saracenicæ.
Yellow Cresse.

E.

EChium marinum, forte Buglossum dulce ex Insulis Lancastriæ, *Park. Sea Buglosse.*

By the salt pans betweene Barwicke and the Holy Island.

¶ Elatine, *Tragi;* Lappula rusticorum *Lugd.* Cynoglossum minus, *Bauh.* Dogges-burre vix semipalmaris in Anglia reperitur, *Bauh. Pin. pag. 257. N. x.*

Erica supina, maritima. Prope *Portsmouth,* ibidem fere loci ubi perpusillus supinus Lagopus maritimus oritur. *Verba sunt Lobelii. Sea Heathe.*

Erica baccifera, *Matth. Lob. procumbens, Bauh. Ger. Emac.* In montibus. *Berry-bearing Heath.* In *Yorkshire Crake-berries.*

¶ Eruca syl. angustifolia, *Lob. Lugd. Small Rocket. Gerard saith he found it by Lambeth Bridge.*

Eruca palustris minor, *Tab. Sinapi i. genus Syl. Fuchs.* Eruca aquat. *Ger. Water Rocket.*

Filix

F.

Filix petræa elegans nondum descripta.
Roche Ferne.

Filix saxatilis 2. *Clus.* Filicula petræa mas
Ger. Emac. an Adiantum nigrum *Plinii,*
Adver.? *Blacke Maiden-haire.*

Flos Adonis, *Lob. Cam. Ger.* Eranthemum,
Dod. Inter segetes. *Red Maithes, Red Camo-*
mile, Rose-a-ruby.

Fœnum Burgundiacum. *vide Trifolium.*

Fragaria fructu hispido, *Ger. Emac.* *Prickly*
Strawberry.

G.

GAlega sive Ruta Capraria, *Matth. Lob.*
Ger. Onobrychis *Fracastorii.* *Goats-*
Rue. **In the Meadows by Linton in Cam-**
bridgeshire, Park. pag. 418.

Genistella Anglica spinosa supina, sive Chamæ-
spartum supinum. Non procul a Castro
South Sea Castle in Comitatu *South-hampton,*
provenit ubi floret Julio & Augusto, spitha-
mæis, gracilibus ramulis procumbentibus.
Creeping Dwarfe furze or Whins.

Genistella sive chamæspartum rectum, spartum
item minus aculeatum rectum flore &
acutis spinis Sparto supino paribus & simili-
bus inter Spartum majus Julio florens, verus
Portiostium invenit *Lobelius,* (*qui hanc*
cum priore totidem verbis ad marginem suæ Hi-
storiæ

storiæ Plantarum Teutonicè editæ descripsit)
Dwarfe Furze or Whins.

Gentianella pratensis Bavarica minutissima,
Cam. fuit plantula in summis montium
 jugis reperta, si me mea non fallat conjectu-
 ra. *Dwarfe Gentian.*

Gentiana cruciata minor, *Mat. Lob. Tab. Ger.* In
 pratis. *Croswort Gentian.*

Glastum sativum. *Lob. Cam.* Isatis sativa, *Fuch.*
Dod. seritur quibusdam agris & a satione
 sponte oritur. *Woade.*

Glaux Hispanica, *Clus. Dioscoridis, Ger.* In
 montosis aridis. *Milke Tare, or Wilde Chich.*

Gnaphalium marinum, *Lob. Tab. Ger.* Legiti-
 mum, *Clus.* *Sea Cotton weede or Cudweed.*

Gnaphalium montanum album, *Lob. Ger.* Au-
 ricula muris, *Lonoceri, Pes Cati, Offic. Gallic.*
Mountaine Cudweed, or Catsfoote.

Gramen aquaticum harundinaceum panicu-
 latum, *Tab.* Gramen aquaticum majus &
 Calamagrostis sylvæ D. *Joannis, Lob. Park.*
pag. 1181. 1274. Reede grasse with brownish
tops.

Gramen arundinaceum acerosa gluma, *Lob.*
Park. ubique ad *Thamisis ripas, Reedgrasse*
with whitish tops.

Gramen avenaceum capillaceum minoribus
 glumis, *Bauh.* Anglo-britannicum avenace-
 um, *Lob.* In pratis. *Small Haver-grasse.*

Gramen Bromoides vernalis spicis erectis, *Ear-ly*
meadow Drauk, or Darnell-grasse.

Gramen Bromoides copiosa panicula, an Fe-
 stuca graminea effusa juba, *Bauh.?* ad agro-
 rum

- rum margines. *Great Haver-grasse.*
- *Gramen geniculatum, *Tab. Ger.* Paniceum spicâ asperâ, *Bauh.* In pratis humidis.
- *Gramen geniculatum aquaticum, *Tab. Ger.* *Water kneed grasse. In the Meadow lying among the Bridges at Wilton Townes end. Park. 1177.*
- Gramen junceum montanum subcærulea spica. *Mosse-crops.*
- Gramen junceum maritimum, *Lob. Ger.* *Sea Rush-grasse.*
- Gramen paniceum spica simplici. *Lob. Ger.* *Single eared Panicke grasse.*
- Gramen Parnassi, *Dod. Lob. Ger.* *Hepatica alba, Cordi. Grasse of Parnassus or White Liverwort.*
- Gramen sparteum montanum spicâ foliaceâ gramineâ majus. *The greater grasse-eared Grasse. Amongst the rockes at Carnedh Llewelyn.*
- Gramen sparteum spicâ foliaceâ gramineâ minus; *The lesser grasse-eared Grasse or Grasse upon Grasse. On the Fells betweene Pereth and Kendall, as also on Snowdon.*

H

- * **H**edera saxatilis, *Ger.* *Asarina, sive Saxatilis hедера, Lob. Rocke Ale-hoofe. In some places of Somerseshire according to Lobell. Park. pag. 677.*
- * *Helleborus niger flo. viridi, Bauh. Veratrum nigrum, Dod. Clus. Helleborastrum Ger.*
In

- In sylvis. *Wilde blacke Hellebore.*
 Helleborus niger fætidus, *Bauh.* Helleboraster
 maximus, *Lob. Ger.* & Consiligo *Ruellii*,
 Pulmonaria *Vegetii*, *Gesn.* Enneaphyllon
Plinii, *Cæsalp.* *Bearefoote*, *Setterwort*, *Oxe-*
heale.
 Hemionitis sterilis, *Lob. Minor, Ger.* In um-
 brosis & asperis. *Small Moone Ferne.*
 Hieracium asperum, *Tab. Ger.* an Cichoreum
 Luteum, *Tab. Ger.?* In montosis pratis.
Rough Hawkweede or yellow Succory.
 Hordeum tetrastichon, vel *πολύστικον* vernum,
Lob. Seritur in agris. *Barly-bigg,*

I

- I** Satis. *vid. Glastum.*
 Juncus maritimus acutus, sive capitulis
 Sorghi, *Bauh.* *ὀξύχων* *Diosc.* *Pricking Sea*
Rush.

L

- L** Agopus perpusillus supinus perelegans
 maritimus, provenit prope Castrum
South-Sea Castle Miliare Anglico a *Ports-*
mouth ad lævam, unciam vix æquans, nulli-
 bi antea vidi. *Ex Autographo Lobelii ad mar-*
ginem Edit. Teuton: Small Hares-foote.
 Lappathum fol. acuto, flore aureo *Bauh.* Lapa-
 thi syl. 4. genus *Daleschampii*, *Lugd.* In uli-
 ginosis. Magnitudine variat, ita ut caulis
 aliquando sesquicubitalis, aliquando vix
 triun-

- triuncialis reperiatur. *Golden Docks.*
 Lens major, *Lob. Ger.* in agris seritur. *Lentills.*
 Lepidium sive Piperitis, *Trag. Matth.* Raphanus syl. *Offic. Lob. Ger.* *Dittander or Peppewort.* **I found it upon a banke betweene Feversham towne and the Haven.**
 Leucoium marinum purpureum, *Ger.* maritimum majus, *Ad. Lob.* *Sea stocke gilloflowers.*
 Limonium vulgare Neotericorum sive Been rubrum minus. *Small sea Lavender.* **On the rockes in Anglesey.**
 Linaria adulterina, *Tab. Ger.* Anthyllis montana, *Lugd.* *Bastard Toade flaxe.*
 * *Lychnis exilis rubra.* *Park. pag. 638.* *The very small red wild Campion.* Quid sit, ignoro.
 * *Lychnis tenuifolia altera.* *Park. ibidem.* *The least wild Campion.* Hanc etiam ignoro.

M.

- * **M**Alva arborea marina nostras. *English sea tree Mallow* **In an Island called Dinnie five miles from Bristow, and neare Hurst Castle.** *Park. pag. 306.*
 * *Matricaria flore bullato aureo.* *Naked Fethefew.* **Found in Essex by Mr. Coys.** *Park. pag. 84.*
Medica marina, Lob. Clus. Tab. *Trifolium cochleatum marinum, Ger.* *Sea Medicke or Snaile Trefoile.*
Mentha angustifolia spicata, Bauh. acuta, Tab. *Romana, Lob. Ger. Emac.* *Spearemint.*

- Meum, *Matth. Dod. Ger.* Daucus Creticus, *Fuch.*
Mew or spignell, In Westmerland in Orton pa-
rish. Ger.
- Militaris aizoides, *Lob. Ger.* Stratiotes Pota-
 mios, & sedum aquatile, *Dod.* Aloë palu-
 stris, *Bauh.* Water Housleeke, or fresh water
 Souldier. **In Holdernes and the Fennes of**
Lincolnshire.
- * Millefolium umbellatum, sive aquaticum
Ger. Dod. Myriophyllum, *Matth.* Water
 Yarrow. **Most frequent according to Park.**
pag. 1258. Yet I have not seene nor heard of it
by any other.
- Millefolium palustre galericulatum, *Ger.* flore
 luteo galericulato, *Lob.* Hooded water Mil-
 foile.
- Millefolium, sive Myriophyllum aquaticum
 minus, *Clus. Ger. Emac.* Small Water Mil-
 foile.
- Monophyllum, *Ad. Lob. Ger.* Vnifolium, *Dod.*
Cam. Oneblade, or Oneleaf. In Dingley wood
in Lancashire. Ger.
- Muscus clavatus foliis cypressi, *Bauh. Ger. Emac.*
 Sabina syl, *Trag.* Chamæcyparissus, *Turneri*
 & *Tab.* Heath Cypres. **On the top of Snowdon**
as also upon Cheviot hills in Northumber-
land.
- Muscus ceranoides, *Bauh.* Corniculatus, *Ger.*
 quoad descriptionem, et enim ejus icon nul-
 libi extat. In herbosis montium jugis. *Horned*
Mosse.
- Muscus marinus spiralis pennatus, nec descri-
 bitur, nec depingitur. *Feathered Sea Mosse.*
In

In the coast of Anglesey.

Muscus marinus foliis multifidis, cum priore.
Fine Sea Mosse.

Myagrurn sylvestre, sive Pseudomyagrurn alterum, *Cam. Epit. Matth. Paronychia. 2. Tab.* In arvis inter Linum reperitnr. *Bastard yellow Flax.*

N.

- ¶ **N**ardus Celtica, *Matth. Lob. Tab.* Spica Celtica, *Lugd. Celticke Spiknard.*
¶ Nardus Celtica altera, *Bauh.* sive fastigiato Flosculorum ordine. *Cam. Epit. The other Celticke Narde. Gerard saith these two grow about Ingleborow hill in Yorkeshire.*

O.

- O**enanthe aquatica Selini folio non descripta. *Water Dropwort.*
* Ophris, sive Bifolium palustre. *Marsh Bifoile, or Twayblade. In the wet grounds betweene Hatfeild and S. Albons. Park. pag. 505.*
Ornithogalum candidum vulgare, *Lob.* Bulbus Leucanthemos minor. *Dod.* In pratis. *White starre of Bethlehem.*
Ornithogalum luteum sive Cepa agraria. *Ger.* Bulbus, *Tragi. Yellowstarre of Bethlehem. Lobel found it wild in Somersetshire.*
Orchis saurodes, sive Tragorchis Maximus, *Ger. Testiculus Hirci, Dod. Lob. The Lizard flower, or Great Goatestones. High the highway*

Way betweene Crayford and Dartford in Kent.

Orchis hiantе cucullo, sive Cynosorchis major altera, *Ger. secunda species, Lob. Tab. Dogges stones with a gaping flower.*

Orchis Myodes lutea, *Ger. Emac. Testiculus muscarius, III. luteus, Tab. In montosis pratis. Yellow fly Satyrion.*

Orchis flore albo odorato, *Cam. sive Testiculus odoratus, Lob. Dod. Ger. cum priore. Lady Traces.*

Oxalis rotundifolia, *Dod. Franca, sive Romana, Ger. French sorrell or round leaved sorrell.*

On the Rockes of Snowdon and the like places.

Oxalis major, forte major *Brockenburgensis, Thal. Montana maxima, Bauh. Great or large leaved Sorrell.*

P.

Pentaphyllum, (sive Quinquefolium minus repens) incanum, *Ger. In montosis. Hoary small Cinquefoile or five-leaved grasse.*

Persicaria siliquosa, *Lob. Ger. Noli me tangere Gesn. Impatiens herba, Dod. Mercurialis syl. & Esula, Trag. Chrysæa, Lugd. In umbrosis. Codded Arsmart, or Touch-me-not.*

Peplus, *Matth. Dod. Lob. Esula rotunda, Gesn. Ger. Inter segetes. Petty Spurge.*

Phyllitis multifida, sive multifido folio, *Lob. Ger. In umbrosis. Finger Harts tongue.*

Pimpinella saxifraga major altera, *Bauh. Tra-*
gose-

goselinum minus, *Tab.* In pratis. *The middle Burnet saxifrage.*

Pisa marina Anglica. *Forte hæc Pisa non differunt a sylvestribus Pisis mihi communicatis a D. Tho. Pennæo, & J. Jacobo Vectensi. D'. amiciss. & eruditiss. Anglis observatis.* 1. Primum syl. instar Convolvulorum se spargit foliis Medicæ cæruleæ, sed non serratis, in cauliculis quadratis fructum fert Piso minore. 2. Alia Pisi sylvestris species radice perenni folio Ascyri fere rotundo, caule item rotundo striato, & fructu in siliquis minoribus. 3. Tertia species e radice longa lignosa, recta producit caules striatos, è quibus in pediculo, ordine quo in Cicere bina, & in summo terna obscure virentia longiuscula folia nascuntur longitudinis & magnitudinis Hyperici, fructus in siliquis longiusculis Pisi. *Alia species* foliis oblongis Ascyri, radice multum fibrata. Proculdubio Pisa hæc sylvestria è genere sunt Lathyridis Cicerculæ quam Rhizotomi Angli cum quodam fastu **Eberlasting Pease** vocant. Pusillum aliud Pisum syl. spontaneum in Cretaceis collibus *Kings-hey Kantii* Comitatus collegi non procul à Thamesi sarmento spithameo etiamque palmari, flosculis subalbidis, radice fibrosa, & foliolis vulgato Piso similibus, sed omnibus sui partibus longe minoribus, In *Essexia* è regione *Kantii* pratensibus editioribus hoc Pisi syl. genus multo majus reperi.

Pisum spontaneum aliud maritimum Anglicum.

cum. In *Cantii* Comitatus maritimis inter silices juxta novam Romam vocatam istud syl. Pisi genus spontaneum oriri tradunt, quam plurimis viginti & triginta numero conjunctis siliquis floribus variorum colorum albis aut cinereis, radice perenni. *Totum hoc de Pisis syl. transtuli ex margine Historiæ Plantarum Teutonicæ Lobelii, ubi propria manu has breviusculas eorum descriptiones exaravit.*

Pneumonanthe, *Lob. Ger.* Campanula autumnalis, *Dod.* Calathiana autumn. *Gesn.* In ericetis solo nigro & humido. *Calathian Violet.*

Polygonum alterum pusillo vermiculato Serpylli folio, *Lob.* In maritimis. *Round leaved Knotgrasse.*

Primula veris πολύμορφ[⊕], sive Primula veris, *Heskethi, Ger.* *The various Primrose, or Mr. Heskethes Primrose, being found by him in a wood called Clapdale 3. miles from Settle in Yorkeshire.*

Primula veris flore rubro, *Clus. Ger.* Sanicula Alpina minor, *Lob.* Arthritica flo. purpureo, *Cam.* *Red Birds-eyne.* Variat flore albo. **These are found in divers moyst yet Mountainous places of the North.**

Pulmonaria foliis Echii, *Lob. Ger.* Long leaved Sage of Jerusalem. **Found by Mr. Goodyer in a wood, in the New Forrest in Hampshire.**

Pulmonaria Gallorum flore Hieracii, *Lob.* Gallica sive aurea angustifolia. *Ger. Emac.* *The lesser*

lesser French or Golden Lungwort.

Pulsatilla vulgaris, Lob. Ger. Herba venti, Trag. Anemone Limonia, & Samolus Plinii, Daleschamp. Purple passe flowre. At Hildersham six miles from Cambridge.

¶ *Pyrola vulgaris, Lob. Clus. Ger. Winter Greene*
It growes in Landsdale and Craven as Gerard affirmes.

Pyrola Alsines flore Europæa, Bauh. Herba tridentalis. Cord. Alsinanthes, Thal. Bastard Winter greene. It growes in woods and the shadowie places of Mountaines both in Wales and Scotland.

R.

R *Anunculus montanus, Cam. globosus sive flore globoso, Dod. Ger. Trollius flos, Ges. Globe Crowfoote, Troll flowres, Lockron gowlans. In divers places of Yorkeshire and Lancashire.*

Ranunculus pratensis erectus dulcis, Bauh. Chrysanthemum simp. Fuchs. Variat aliquando flo. multiplici. Gentle Crowfoote with single and double flowres.

* *Rhamnus secundus, Matth. Clus. Ger. Oleaster Germanicus, Cordi. Rhamnus primus, Dioscoridis, Adv. Lob. Sallow Thorne. On the Sea Coast, Park. pag. 1008.*

Rhodia (vel Rosea) radix, Matth. Lob. Dod. Ger. In præruptis montium jugis. Rose-wort, or Rose-roote.

Rosmarinum Syl. minus. Cam. Epit. Syl. ῥοσμή, &

- & *Cistus Silesiacus*, *Clus.* *Chamærododendros Alpina angustifolia*, *Tab.* In uliginosis. *Wilde Rosmary.*
Rubia minima saxatilis, *Lob. Ger. Dwarf Madder.*
Rubus Idæus vulgaris, *Clus. Lob. Ger. Respas.*
This grows in many places of the North and of Wales.

S.

- S** *Salix rosea Anglica*, *Ger. Rose Willow.* **In many places of Cambridge-shire.**
Salix folio laureo, sive lato glabro odorato folio, nondum descripta. *Willow-Bay.*
Salix humilis saxatilis, sive *Chamæitea repens montana rotundifolia.* *Round leafed Mountain Willow.*
Saponaria folio concavo, sive *Gentiana concava*, *Ger. Hollow Fellwort, or Sopewort.* **In a wood neare Lichbarrow in Northamptonshire. Ger.**
Scordium, *Matth. Dod. Ger. & Trixago palustris*, *Lob. Scordium, or Water Germander.*
Sedum aquatile, vid. *Militaris aizoïdes.*
Sedum majus arborescens Anglicum sive *maritimum*, *Adv. pag. 162. Great Sea Houseleeke.*
Sedum Alpinum 1. Clusii, *Ger. Emac. sedum Alpinum flore pallido*, *Bauh. Small Sengreene of the Alpes.*
Sedum minus flore albido, sive *Alpinum 3. Clus. Ger. Emac. White Sengreene of the Alpes.*
Sedum

- Sedum serratum, sive Umbilicus Veneris alter
Matth. Cotyledon altera 4. *Clus. Hist.*
The Princes Feather.
- Sedum tridactylites sive Alpinum trifido folio,
Bauh. Sedum minus decimumtertium, *Clus.*
Hist. Handed Houseleek or Sengreene. All
these Seda, or Sengreens grow on the Rocks
of the high Mountaines in Wales.
- Selinum Sii foliis, *Ger. Emac.* *Honewort.*
- Serpentaria omnium minima, *Lob. Dod.* Co-
 ronopus sive Serpentina minima, *Ger.* In
 maritimis. *Small grasse Plantaine.*
- Serpillum alterum citratum, *Matth. Tab. Ger.*
Emac. In Montosis. *Lemon Time.*
- Serpillum hirsutum, *Ger. Emac.* sive Serpillum
 Pannonicum, 3. *Clus. Hist.* In montosis, &
 asperis. *Hoary Wilde Time.*
- Sium pusillum foliis variis, nondum descrip-
 tum, in aquosis. *Small water Parsley.*
- Solidago Saracenicæ, *Trag. Fuch. Dod. Lob. Ger.*
 Consolida aurea, *Tab.* Virga aurea, *Gesn.*
Hort. Saracens consound.
- * Sorbus sylvestris Anglicus, *Red Chesse Apples*
and Sea Oulers. In Wetherslacke Parke in
Westmerland. Park. pag. 1421.
- Speculum veneris, *Ger.* Onobrychis & Cam-
 panula arvensis minima, *Dod.* Viola arven-
 sis & pentagonia, *Tab.* *Venus looking-glasse,*
or Corne Violet. This is sayd to grow a-
mongst the Corne at Greenhith and Dartford
by Gerard, and about Lilly in Hartfordshire
by Park. pag. 1331.

- Spongia ramosa, *Ger. Emac.* Confervæ marinæ genus, *Lob. Branched Spunge.*
- * Sphondylium majus aliud laciniatis foliis. *Jagged Cow Parsnep. Found by Mr. Bowles in Shropshire. Park. pag. 954.*
- * ¶ Stella leguminosa, *Lob. Ger.* Vicia sesamecea Apula, *Colum. Starry kidney Vetch, or Starre-Pulse. In many places, Park. 1095.*
- Stratiotes potameios, Vide *Militaris aizoides.*
- Staphilodendron, *Plinii, Matth. Lob. Pistachia Germanica, Lon. Nux vesicaria, Trag. Dod. Ger. The Bladder Nut. In some Woods on the further side of Yorkeshire.*

T.

- T**Elephium purpureum majus, *Bauh.* sive floribus purpureis, *Lob. Ger.* in montosis. *Purple Orpine.*
- Tilia fœmina (folio majore *Bauh.*) *Matth. Dod. Lob. Ger.* In areis & compitis. *The Linden or Limetree.*
- Tilia syl. *Trag. Minor. Ges.* in sylvis & sepibus. *The Wilde or lesser Linden or Lime-tree.*
- Thlaspi hederaceum, *Lob. Ger. Emac.* in maritimis. *Ivie-leaved Mustard.*
- Thlaspi minus, *Lob. Ger. minus Germanicum, Tab. Nasturtium syl. Thal. in maritimis. Bowyers*

Bowyers Mustard, or Bastard Cresses.

Tribulus terrestris, Matth. Dod. Lob. Ger. Land Caltrops. In a moyst meddow by Croidon.

Trifolium nodiflorum, vel juxta folia floridum, nondum descriptum. In pratis. Kotted Trefoile.

Trifolium siliqua cornuta, Bauh. Medica legitima, Clus. Fænum Burgundiacum, Lob. Trifolium Burgundiacum, Ger. Burgundie Trefoile or Medicke fodder.

Trachelium majus Belgarum, Lob. & Giganteum, Ger. Giant Throatwort, or Bell-flower. In divers places of Yorkeshire.

V.

Vaccinia nubis, *Ger. & Chamæmorus Ejusdem & Clus. Knot berry and Cloudberry. On the tops of the high Mountaines both in the North and in Wales.*

Vaccinia palustria, Dod. Lob. Ger. Oxycoccum, Cordi. Vitis Idæa 3. in palustribus, Clus. Acinaria palustris & Serpillum acinarium, Gesn. Marsh Worts, or wortles, Mosse-berries and Moore-berries.

Vaccinia rubra, Dod. Lob. Vitis Idæa buxeis foliis, Clus. Myrtillus exiguus, Trag. Rêd Wortle or Hurtle berries. In the wilde Moores of Northumberland and the like places.

Ver-

Verbascum nigrum folio *Papaveris corniculati*, *Bauh. Cam.* *Verbascum purpureum Erucifolium*, *Adv.* *Intybaceum*, *Tab.* In pratis & ruderibus. *Cut leaved Mullein.*

Vermicularis frutex major, *Ger. Emac.* *Vermiculatæ fruticis varietas major*, *Lob.* In maritimis. *Tree Stone-Crop.*

Veronica recta mas, *Lob. Ger. vulgaris recta. Clus. Great Speed-well or Fluellin.* **Found at Saint Vincents Rocks by Master Goo-dyer.**

Viola martia palustris, sive *Viola montana*, *Gesn.* *Viola martia flore rubro purpurascen-te, Eystet. Red Violets.* **Found by Mr. Stonehouse in Yorkeshire, as also about Snowdon and in divers other places.**

Viola Montana flo. luteis, *Lob.* *Martia lutea, Ger. lutea inodora Alpina, Cam. Yellow Violet.*

Viola tricolor, *Dod. Clus. Ger. Iacea sive Flos Trinitatis, Matth.* In arenosis & sterilibus locis magna harum varietas. *Harts-ease or Pansyes of divers colours.*

Vnifolium, vid. *Monophyllum.*

* *Vrtica Romana, Trag. Fuchs. Lob. Ger. pri-ma Dioscoridis semine Lini. Romane Net-tle.* **About Rumney in Kent. Park. Pag. 441.**

X.

X Anthium, *Matth. Dod. Tab. & Stru-*
maria, Lob. Bardana minor, Ger. juxta
semitas. The lesser Burre Docke.





